

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1872

Auteur(s) : Richard Ier Cœur de Lion, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Silly-en-Gouffern, Notre-Dame (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1190, 6 avril

Lieu d'émission : Argentan

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Richard Ier, roi d'Angleterre, confirme les biens de l'abbaye Notre-Dame de Silly-en-Gouffern.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa, t. XI*, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Sagiensis, n° XIII, col. 168-169.

Texte établi d'après a

Ricardus, Dei gratia rex Angliæ, dux Normanniæ et Aquitaniæ, comes Andegaviæ, episcopis, archiepiscopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciariis, vicecomitibus, et omnibus ministris et fidelibus suis totius terræ suæ salutem. Sciatis nos concessisse et præsenti charta nostra confirmasse Deo et sanctæ Mariæ de Gouffer, et omnibus fratribus ibidem Deo servientibus, in puram et perpetuam eleemosynam illam vastam terram, quæ est inter magnam forestam et aquam Uræ, et inter mesos Willelmi et badum Arenarii, liberam et quietam ab omni consuetudine, et in prædicta foresta herbagium et pasnagium ad propria animalia, et mortuum boscum ad ardendum, et viride ad domos et ædificia sua facienda, et vendere et emere in omnibus villis et castellis nostris libere et quiete. Præter hoc concessimus eis totum redditum omnium bigrorum quos ibi habebat pater noster. Concedimus etiam eis et confirmamus hoc quod fuit in dominico patris nostri ex utraque parte aquæ, a meso Willelmi usque ad domum Roberti filii Udonis, et usque ad spineta de Viesino ex alia parte aquæ. Concedimus etiam eis et confirmamus apud Argentonum terram et domum Columbelli, et terram sancti Leonardi de Gouffer. Concedimus etiam eis et confirmamus de redditu nostro de Argentonio singulis annis decem libras, et de foresta nostra de Gouffer singulis annis decem libras, et duos modios frumenti, et unum modium ordei singulis annis de molendinis nostris de Argentonio, et ecclesiam sancti Leonardi quam Robertus de sancto Leonardo eis dedit in perpetuam eleemosynam, cum pertinentiis suis omnibus ; et ecclesiam sancti Lamberti quam Robertus de Clopel, assensu filiorum suorum Fulconis et Gisleberti, eis dedit in perpetuam eleemosynam, cum omnibus pertinentiis suis, sicut charta patris nostri testatur ; et ex dono Willelmi de Mandevilla comitis Escexiæ, domos de Blanc-fossé, et boscum quem idem Willelmus habebat de Roberto Delfai, et de Nicolao de Bel-autel, et de aliis dominis a quibus illud emit, salvis servitiis dominorum, et omnes terras de empto ejusdem comitis Willelmi ibidem ; et ex dono Elæ de Saucvilla sororis Roberti de Dana, decem solidos quos Rogerius Delclos eidem Elæ reddebat de feodo suo reddendos annuatim ad nundinas Montis Martini, et ecclesiam sanctæ Mariæ del-Repos, et quatuordecim acras terræ ex dono Fulconis de Annou ibidem ; et ex dono ejusdem decimam molendini sui apud Annou, et totam piscaturam ejusdem molendini ; et ex dono Hugonis de Annou viginti unus solidos Andegavensium apud Chaumont annuatim

reddendos in prima Dominica Quadragesimæ. Quare volumus et firmiter præcipimus quod domus sanctæ Mariæ de Gouffer, et prædicti fratres ibidem Deo servientes habeant et teneant omnia prædicta prædicto modo, bene et in pace, libere et quiete, integre, plenarie et honorifice, in bosco et plano, in pratis et pasturis, in viis et semitis, in vivariis et stagnis, in aquis et molendinis, et piscariis, in herbagiis et pascuis, et omnibus aliis locis et aliis rebus ad ea pertinentibus, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis, et cum omni integritate sua. Testibus B. Turonensi archiepiscopo, A. regina Angliæ, Hugone Dunelmensi, Hugone Conventrensi, Hub. Saresberiensi, et Lis. Sagiensi episcopis, Willelmo Mariscallo, Willelmo filio Adelinæ, Willelmo de sanctæ Mariæ ecclesia decano Moretonii. Data per manum Joannis de Alençonio Luxoviensis archidiaconi, vicecancellarii nostri, sexto die Aprilis, apud Argentonum, anno primo regni nostri.